



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Ex Curtio mendum sublatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**



rem interpretationem esse R. David Kimchi testatur. Neque quidquam aptius & convenientius de Aseritis dici potest, & cui magis respondit eventus, quam quod eo sensu, quem dedimus, prædixit Moses. *Maximam mansisse perpetuo barbarorum copiam in Galiaa gentium, quæ maxima fuit hæreditaria Aseritarum pars*, vir excellentis ingenii & doctrinæ Andræas Masius notavit. Hoc vero miramur interpretationem Masii confirmari, sed quam maxime pro nostra est. Etenim cum Aseritis certamen perpetuum esset futurum cum veteribus terræ incolis, à quibus continuis bellis vexarentur, inter cæteras benedictiones prædixit Moses, eos bello strenuos futuros, neque vires eorum atterendas esse.

XII. Hæ ferreæ atque aereæ ocreæ in memoriam mihi revocant elegantissimum Curtii locum, quem mendo liberavi, quod omnes interpretes fugit. Prædicat Macedonum aciem, quod non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære fulgeret. *Contra*, inquit,

Masius ad  
Ios. 19, 30.  
31.

Curtius  
lib. 3.  
cap. 3.



quit, si quis aciem Macedonum intue-  
retur, dispar acies erat: equis virisque  
non auro, non discolori veste, sed ferro  
atque ære fulgentibus. Securè præ-  
terierunt hunc locum Curtii com-  
mentatores, cum tamen mendum  
lateat in voce *acies*, quod ex in-  
grata atque tædiofa repetitione de-  
prehendi potest. Pro *acies* legen-  
dum *facies*: Contra si quis aciem Ma-  
cedonum intueretur, dispar facies erat.  
De exercitu vocem *facies* eleganter  
usurpant Latini Scriptores. Tacitus:  
*Et militum phaleræ torquesque  
splendebant: decora facies & non Vitellio  
principe dignus exercitus.* Ipse Cur-  
tius: *Hæc dextri cornu facies erat.*  
Verbum *intueri*, quod præcedit,  
& ea quæ sequuntur: *Equis virisque  
non auro non discolori veste, sed ferro  
atque ære fulgentibus*, non tantum  
firmant conjecturam nostram, ve-  
rum etiam iudicium viri immortalis  
memoriæ NICOLAI HEIN-  
SII, quem & Parentis, viri ma-  
ximi, & sua merita supra laudem  
omnem dudum extulerunt, & non  
ita pridem nobis ereptum, nun-  
quam satis deplorare poterunt,  
quibus rei literariæ salus est cordi.  
Nam

Tac. Ann.  
lib. 2.  
cap. 89.

Curt. lib. 4.  
cap. 13.